

aliis iudicibus, qui ordinariam habent jurisdictionem, haud obstante, quod a principe ad officium iudicis nominentur, et deputentur.

93. *Idque probatur.* — Confirmatur conclusio. A delegato datur appellatio ad delegantem; ut patet ex c. *Super questionum*, § *Porro. de Offic. delegat.* cum concordantiis. Sed a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, text. clar. cap. II. *de Consuetud.* in 6. ubi etiam omnis contraria consuetudo reprobatur, addita illa ratione: «Ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur;» ergo. Accedit: quia juxta textum nunc allegatum, idem est tribunal, eademque jurisdictio episcopi, et vicarii sui generalis: atqui jurisdictio episcopi est ordinaria, c. *Cum Episcopus*, 7. *de Offic. ordinar.* in 6; ergo et illa.

94. *Ita procedit etiam quoad negotia requirunt speciale mandatum, quando hæc in prima collatione vicariatus exprimuntur.* — Resp. II. Conclusio proxime data non solum procedit in illis, quæ ipso jure, seu ex generali commissione vicariatus competunt, sed etiam locum habet quoad alia negotia speciale mandatum requirentia, quando hæc in prima collatione vicariatus specialiter exprimuntur: quia tota jurisdictio vicarii generalis erit ordinaria. Ita Joan. Andreas in *Addit ad Speculatorem*, in *Rubric.* ad tit. *de Offic. vicar.* vers. *Dubitari videtur*; Francus, in cap. II. n. 4, h. t. in 6; Nicol. Garcias, cit. part. V. cap. VIII. n. 41, post Rotam apud Crescent. decis. 15, *de Probation.*; Gambarum *de Offic. legati*, lib. IX, n. 33. et seqq.; Sbrozium, lib. I. q. 67. n. 3, et alios; Sanchez, lib. III, *de Matrim.* disp. 29. n. 8; Pirhing, h. t. n. 40. Ratio est: quia connexorum idem est iudicium, c. *Translatio*, 3. *de Constit.* juncta Glossa cum doctoribus ibidem. Simulque accessorium naturam sequitur principalis, juxta reg. 42 juris in 6. Atqui in posito casu, jurisdictio quoad causas specialiter commissas est annexa, simulque accessoria ad jurisdictionem ordinariam vicarii generalis; ergo.

95. *Secus de illis quæ seorsim ac regulariter eidem committuntur.* — Secus dicendum de illis, quæ non solum requirunt speciale mandatum, sed iusuper seorsim ac singulariter eidem committuntur: quia in istis jurisdictio est delegata. Felinus in *Rubric.* ad cit. tit. *de Offic. delegat.* n. 4. limitat. 3; Maranta,

cit. part. IV. dist. 5. n. 16; Francus, Sbrozium, Sanchez, Pirhing, et alii. Siquidem hic cessat ratio proxime allegata: nam jurisdictio, quæ ad actus separatim et singulariter commissos datur, non potest censi annexa vel accessoria ad generale officium vicariatus: ideoque recte delegata dici debet, ut proin a vicario tanquam delegato, possit appellari ad episcopum veluti delegantem.

96. *Nisi episcopus talia committat vicario generali ut vicario.* — Veruntamen hoc ipsum limitant doctores, quando episcopus postea singularem causam, speciali mandato indigentem, committit generali vicario tanquam vicario, seu intuitu officii vicariatus: quia tunc etiam quoad hanc causam censebitur jurisdictio vicarii esse ordinaria; Joan. Andreas, Sanchez, Pirhing, ubi supra, et Sbrozium, lib. II, *de Vicario episc.* quæst. 55, n. 39, istud intelligentes in casu, ubi in commissione fit mentio vicariatus; sive, quando episcopus in salutatione, aut in progressu, inquit: «Tibi officiali, vel vicario nostro committimus, quod possis,» etc. Tunc enim videtur prorogata prior ordinaria jurisdictio vicarii generalis, sicque tota jurisdictio erit ordinaria. Quamquam Garcias, cit. part. V. cap. VIII, n. 44, istud non approbet, nisi fiat expressa extensio, seu prorogatio dictæ jurisdictionis ordinariæ vicarii sui per episcopum.

97. *Prædicta pariter procedunt de jurisdictione vicarii capitularis, sede vacante.* — Porro quæ hactenus dicta fuerunt de jurisdictione vicarii generalis episcopalis, nempe quod sit ordinaria, ea pariter procedunt de jurisdictione vicarii capitularis, sede vacante: nam et huic semel rite constituto competit jurisdictio a jure seu canone, et quidem eadem, quam habet vicarius episcopi; ac proin etiam ipsa erit ordinaria. Aloys. Riccius in *Praxi aurea*, part. II, resolut. 99. n. 4; An. Flaminus Marchettus in *Praxi vicarii capitularis*, part. II. tit. XII. n. 35, citans Sbrozium *de Vicario episcop.* lib. II. quæst. 55, num. 31; Gutierrez, *de Matrim.* c. 66, n. 13; Martha, *de Jurisdict.* part. II. cap. XL; Sanchez, lib. III. *de Matrim.* disp. 29, n. 4, allegans alios.

98. *Solvuntur objectiones. Jurisdictio, quæ penes episcopum est primario et principaliter in vicario generali ipsius existit secundario seu accessorie.* — Objicies majoris claritatis gratia contra hactenus dicta: episcopus habet jurisdictionem ordinariam; ergo hanc non habet suus vicarius generalis: «nam duo insimul

eamdem rem, et eodem modo, in solidum possidere non possunt,» c. *Licet*, 9. *de Probationib.* Resp. neg. consequent. cum suæ probationis consequentia. Siquidem dicta jurisdictio non eodem modo est in utrisque ac proinde nihil urget allatus textus: nam penes episcopum jurisdictio illa est primario ac principaliter, utpote qui ratione dignitatis consequitur jurisdictionis dominium: in vicario autem est secundario solum, seu accessorie ex commissione juris, et quasi exercitium domini jurisdictionis consistentis in persona episcopi Sanchez, loc. cit. n. 13; Barbosa ubi supra, n. 38; Pirhing, n. 36 et alii.

99. *Non semper, qui vices gerit alterius, delegata jurisdictione uti censetur.* — Objicies II. Vicarius generalis gerit vices episcopi, c. *Romana de Appellat.* sed qui gerit vices alterius, nihil proprium habet, sed delegata jurisdictione uti censetur, arg. L. 1. § 2. ff. *de Officio ejus, cui mandata est jurisdict.*; ergo. Resp. negando minorem esse universaliter veram. Nam et legatus Papæ ejus vices gerit, cap. 1, *de Offic. legati*, et tamen habet jurisdictionem ordinariam; ut dicitur cap. II, eod. in 6. Similiter delegatus ad universitatem causarum reputatur quasi ordinarius, ut dicitur, tit. seq. § 3, n. 63, haud obstante, quod gerat vices alterius. Requiritur ergo inter alia ad jurisdictionem delegatam, quod quis vices alterius gerat, non ex ullo proprio officio, cui talis jurisdictio de jure cohæreat, sed ex nuda commissione alterius. Hoc autem non fit in proposito, cum vicario generali competat sua jurisdictio a jure vi proprii officii; haud obstante, quod per episcopum, qui ipsum constituit, ea ampliari, vel restringi valeat. Et per istud patet ad cit. L. 1. ff. *de Offic. ejus, cui, etc.*

100. *Jurisdictio vicarii generalis, cur expiret mortuo episcopo?* — Objicies III. Inter jurisdictionem ordinariam et delegatam ea est differentia, quod jurisdictio ordinaria sit perpetua, neque mortuo concedente expiret; ut c. *Legatos*, 2. *de Offic. legat.* in 6. cum similibus: jurisdictio delegata vero, si res adhuc sit integra, mortuo delegante expiret; ut c. *Relatum*, 19. et c. *Gratum*, 20. *de Offic. delegat.* Atqui jurisdictio vicarii generalis nec est perpetua, sed ad nutum episcopi revocabilis, simulque expirat mortuo episcopo, ut n. 103, dicitur; ergo non est ordinaria, sed delegata. Resp. majorem esse veram, quod jurisdictio ordinaria non cohæret

alteri ordinariæ, tanquam accessoria: secus autem, quando ipsa cohæret alteri ordinariæ, tanquam accessoria; prout jurisdictio ordinaria vicarii generalis cohæret jurisdictioni ordinariæ episcopi. Hinc enim fit, quod quamprimum ea per mortem, vel alias, extinguitur in episcopo, mox etiam extinguitur in vicario; juxta notam illam reg. 42 juris in 6. «Accessorium naturam sequi congruit principalis,» cum concordantiis. Sanchez, cit. lib. III, *de Matrim.* disp. 29, n. 13, Barbosa, d. allegat. 54, n. 44, et alii.

101. *Et cur ad nutum episcopi sit revocabilis?* — Neque etiam obstat, quod vicarii generalis jurisdictio ad nutum episcopi sit revocabilis. Resp. enim id fieri ex eo, non quod jurisdictio illa non sit ordinaria; sed quia eam vicarius a lege consequitur mediante nominatione episcopi. Cum igitur hanc possit episcopus revocare, sublato antecedente, necessario tollitur et consequens. Simile quid contingit in aliis magistratibus ordinariis, quorum jurisdictio mox cessat: cum primum per superiorem a suis officiis amoveantur.

102. *Vicarii generalis officium, ac jurisdictio cessat. I. Per mortem ipsius. II. Per propriam renuntiationem.* — Quæritur II. Quibus modis cesset officium, ac jurisdictio vicarii generalis? Resp. Id accidere multipliciter. I. Per mortem ipsius vicarii: nam mors omnia tollit. II. Per propriam ejus renuntiationem expressam, vel saltem tacitam, ut si vicarius egrediatur locum vicariatus animo non revertendi; censetur enim tunc tacite renuntiasse. Fagnanus in c. *Presentata*, n. 10. *de Testibus*, ubi notabilem circa hoc casum refert.

103. *III. Per mortem, depositionem, renuntiationem, seu translationem episcopi.* — Expirat officium vicarii generalis per mortem episcopi, vel ejus depositionem, aut renuntiationem admissam a superiore, seu translationem ad aliam Ecclesiam. Et quidem tunc ipso facto extinguitur omnis potestas, et jurisdictio vicarii, etiam re non integra; ita quidem, ut nec causas episcopo vivente cæptas, post mortem, vel renuntiationem ipsius perficere queat, utpote privatus omni jurisdictione; prout desumitur ex Clem. ult. *de Procurat.* et notat Glossa ibid. § *Contestata*. Accedit ratio: quia vicarius eandem cum episcopo habet jurisdictionem, idemque tribunal; ergo, si cessat episcopi tribunal, ac jurisdictio, cessabit etiam ipsius vicarii: siqui-

dem accessorium naturam sequitur principalis, ut jam dictum, n. 100.

104. *Et on valeant gesta tunc a vicario ignorante mortem, etc., episcopi longe distantis?* — Verum, quod his non obstantibus valeant gesta tunc a vicario ignorante mortem episcopi longe distantis, dummodo hæc non a solo vicario, sed etiam communiter ab aliis ignoretur, recte observat Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 22, n. 29; Sperellus, decis. 30, *Fori ecclesiast.* n. 3, citans Rotam decis. 4, alias 47, de *Offic. vicarii*, in nov. et Barbosa cit. allegat. 54, n. 152, allegans alios: quia videlicet error communis jus facit, tribuitque vicario illi jurisdictionem, ut l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.*

105. *IV. Suspensa episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum.* — IV. Et ob allatam, n. 99 rationem, si episcopi jurisdictio fuerit suspensa, seu impedita per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum; eo ipso etiam suspenditur, ac impeditur jurisdictio sui vicarii generalis: quia videlicet est eadem jurisdictio, et tribunal utriusque, simulque accessorium sequitur naturam principalis. Glossa communiter recepta in cap. 1, §. *Ipsius*. h. t. in 6. bene subjungens, quod tunc sit adendum Papa, ut provideat. Concordant dicta superius tit. X, de *Supplenda negligentia prælatorum*, § 2, n. 36 et seqq.

106. *V. Episcopo ab hostibus capto.* — V. Officium vicarii generalis cessat episcopo ab hostibus capto. Quia tunc episcopus censetur civiliter mortuus; ac proinde capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus ministrare debet; ut c. *Si Episcopus*, 3. de *Supplend. neglig. prælat.* in 6; Fagnanus c. *Per tuas*, il. 4, n. 21, de *Simonia*, citans Geminianum in d. c. *Si Episcopus*.

107. *VI. Et per revocationem.* — VI. Tandem finitur potestas, et officium vicarii generalis per revocationem. Ita Glossa in *Clem. Et si principalis*, 2. §. *Per electionem. de Rescript.* ibi: « De Officiali, quem episcopus ad nutum amovere potest. » Rebuffus in *Praxi benefic.*, tit. *Forma vicariatus*, n. 224; Barbosa cit. alleg. 54, n. 145; Pirhing h. t. n. 73; Engel, eod. tit. n. 11, et alii passim. Siquidem

108. *Vicarius generalis ad libitum episcopi potest revocari.* — Vicarius generalis non est intitulatus in officio suo; ideoque ad libitum episcopi revocari potest, ut tradunt citati

doctores. Accedit, quod vicarius generalis, licet consequatur suam jurisdictionem a jure, eam tamen non consequitur nisi mediante nominatione episcopi: atqui hanc potest revocare episcopus, juxta c. *Omnis*, de reg. jur. ibi: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur; ergo et illam, ut jam dictum n. 97. Nam sublato antecedente, necessario tollitur et consequens. »

109. *Disparitas inter ipsum et vicarium perpetuum in divinis.* — Nec obstat quod vicarius perpetuus quoad divina in aliqua parochia constitutus, non possit ad libitum revocari, vel amoveri. Resp. enim disparitatem esse: quia talis vere est intitulatus, atque investitus in Ecclesia, cujus perpetuam vicariam habet; non sic vicarius generalis.

110. *An capitulum sede vacante possit revocare vicarium a se constitutum?* — Nota tamen, quod vicarius episcopi ad beneplacitum possit revocari; et quidem valide, etiamsi is jurasset non revocare, licet si hoc faceret absque justa causa excusante, reatum perjurii incurreret. Fagnanus c. *His quæ*, n. 71. de *Major. et obed.* Nihilominus capitulum sede vacante, facta semel electione vicarii, non possit illum ad libitum revocare, et novum constituere. Et ita a sac. Congregat. episcoporum fuisse responsum, refert Barbosa cit. alleg. 64, n. 171; ac Fagnanus, cit. n. 71. Fatendum tamen, quod idem Fagnanus, loc. cit. n. 69, ac etiam Nicol. Garcias part. V, cap. VII, n. 23. § *Quinta*, aliam ejusdem sac. Congregationis declarationem allegat, vi cujus capitulum potest ad libitum revocare vicarium, alias ab ipso electum, seu confirmatum; dummodo intra octo dies alium constituat. Quæ declaratio, si revera emanavit, ut concordetur cum altera priori, videtur intelligenda, quando subest gravis causa: alias secus. (ADNOTATIO, LXIII.)

111. *Qua ratione Sede vacante resideat jurisdictio penes capitulum, et vicarium ab ipso constitutum?* — Pro coronide nota, quod vacante episcopatu jurisdictio principaliter quidem resideat penes capitulum: nihilominus exercitium ejus, jure sic disponente, existat penes vicarium ab eodem deputatum. Anton. Flaminius Marchettus in *Praxi vicarii capitularis*, part. I, tit. II, n. 4, post. Quarantam in *Summa Bullarum*, §. *Capitulum Sede vacante*, n. 4, estque jam dictum supra tit. XI, de *Temporibus ordinationum*: § 5, n. 123. Atqui dicti vicarii jurisdictio tanta est, quanta ip-

sius capituli sede vacante, nisi quid specialiter fuerit exceptum; prout liquet ex forma, seu instrumento vicariatus capitularis, quam refert Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54, n. 159, post. Quarantam in cit. *Summa Bullarum*, §. *Capitulum Sede vacante*. (ADNOTATIO LXIV.)

112. *An tunc capitulum possit eligere visitatorem ad visitandam diocesin, aut vicario absente alium substituere?* — Unde, quod capitulum sede vacante absque vicario jam constituto, non possit eligere visitatorem ad visitandam diocesin, a sac. Congregatione decisum fuit, ut ait Nicol. Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. VII, n. 23, § *Septima*. Qui ibidem § *Sexta* pariter decisum refert, quod ad vicarium spectet, propter suam absentiam alterius substitutionem facere. Concordat Fagnanus, loc. cit., n. 73 et seqq. ubi has ipsas decisiones allegat.

TITULUS XXIX.

De officio et potestate Judicis delegati.

1. *Ratio continuationis titularum. Delegatus Papæ est major quolibet ordinario quoad causam sibi commissam.* — Sequentes tituli hujus primi libri decretalium versantur præcipue circa forum contentiosum et continent præparatoria judiciorum; ut ait Zoësius, h. t. n. 1. Quia vero in judiciis primo quaeritur de iudice, qui vel est ordinarius, vel delegatus; idcirco de hoc tractatur in præsentis titulo, de illo vero postea. Nec immerito prius agitur de delegato, quam de ordinario: siquidem delegatus Papæ est major quolibet ordinario saltem quoad causam sibi commissam; eo quod circa hanc gerat vices Papæ, ejusque personam representet, prout habetur in c. *Sane quia*, 11, h. t. Ut autem præsens materia una cum aliis coherentibus, et subsequentibus, melius intelligatur, præpretium erit, jurisdictionem ut sic et varias ejus divisiones præmittere. Hinc sit

§ I.

DE JURISDICTIONE UT SIC, ET VARIIS EJUS DIVISIONIBUS.

2. *Jurisdictio quid?* — Quaeritur I. Quid sit jurisdictio? Juristæ plerique solent cum

Glossa in l. 1. de *Jurisdict. omn. judic.* § *Potest.* jurisdictionem in genere sic definire, dicendo, « Jurisdictio est potestas de publico introducta cum necessitate juris dicendi, et æquitalis statuendæ. » Verum, quia hæc definitio non convenit jurisdictioni ecclesiasticæ, utpote quæ non de publico, hoc est, non auctoritate reipublicæ, sed immediate a Deo seu Christo Domino introducta fuit, c. *Solite*. 6. de *Major. et obed.* cum concordantiis; et de qua potissimum nobis est sermo: hinc magis generaliter, ac melius loquendo,

3. *Jurisdictio quid?* — Resp. I. *Jurisdictio* est potestas publica juris dicendi, ita desumitur ex l. 1. § *Damus*, ff. de *Suspectis tutoribus*. ubi jurisdictio appellatur *Officium juris dicendi*. Jurisdictio siquidem a jure dicendi, sive sententia secundum æquitatem, jurisque regulas ferenda, tanquam præcipuo publicæ potestatis officio, dicta fuit. Vel, si placet magis, generalem, atque omnes jurisdictionis actus sub se comprehendentem definitionem ponere, dicas cum Pirhing tit. de *Offic. judic. ordin.* n. 1. et aliis: « Jurisdictio est potestas publica circa aliorum regimen, seu gubernationem. »

4. *Dicitur potestas publica, et cur?* — Dicitur notanter, *Potestas publica*, ad excludendam videlicet eam potestatem, seu auctoritatem, quam habet maritus in conjugem, pater in filium, dominus in servum, magister in discipulum, et tutor in pupillum. Hæc enim non est jurisdictio proprie dicta, cum magis ad domesticam, seu œconomicam ac privatam, quam ad publicam gubernationem spectet.

5. *Item potestas jurisdictionis.* — Et additur *Potestas*. Sumitur enim hic jurisdictio, non pro actu, seu exercitio jurisdictionis; sed pro facultate, ac potentia eam exercendi: unde alio nomine appellatur *Potestas jurisdictionis* (ad differentiam *Potestatis ordinis*, quæ clericis confertur per sacros ordines) et qui illam habent, dicuntur *Potestates publicæ*.

6. *Actus potestatis publicæ qui?* — Hujus autem potestatis publicæ actus sunt, sententiam ferre ac delinire, quid jus et æquitas contineat; item præcipere, prohibere, punire, leges ferre, in his dispensare: quinimo universim omnis ille actus jurisdictionis esse censetur, qui a superiore ex publico munere ac potestate in subditos, sive quatenus publica persona est, exercetur. Et hoc denotatur per alia verba, in posteriori definitione jurisdictionis posita, ibi: « Circa aliorum regimen, seu gubernationem. »